

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 61.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Martis 5 Sept. 1809. (Neov. 18. Aug 1809.)

Mundus absque Deo — orphanus est.

Schaftesbury.

Ita Elysios penetrarunt campos!

Absit desperatio aut mentis usurpatione, de iudicando mundi cursu — his plerumque praediti comparent manes subeuntes ex superiore mundo Elysias oras, de cursu mundi loqui, ratiosinari: ut melius esse posset, cupiunt, at quis statuere valet, quem complexum annus proximus, dies instans, aut vero hora imminens habitura sit? — Absque Deo mundus hic — vere orphanus est!

Urbes, integra regna feruntur in praecipitum, ruina orbi imminet! orbis omnipotentis manu extortus, sibi relictus videtur; an hoc illudque malum, haec, vel illam cladem tulisset? quis inde fructus? an non mundus orphanus videtur? In hunc modum ratio humana queritur, sapientiae supremi entis superbe se efferre volens; melius se facturam fuisse, melius disposituram fuisse contendit, quae? arrogans intellectus, qui modico capitis tactu, paullo vehementiore sanguinis motu confunditur; qui ex Universo nec hilum, ex aeternitate nec tempusculum novit, haec ratio mundum sibi orphanum imaginatur!

Sæpe fit numero : ut quæ horribilis adpareat, & e quibus nulla salutaria consecutaria nec pro nobis, nec posteris prospicere possumus, ut illa carpamus, indignamur eventis, quæ nec ab homine accite, nec impediri possunt, ratio cinamur de malis fatisque ab omnipotente ente non aversis, quæ tamen averti facile potuissent.

Verum non omne, quod imaginationi nostræ horroris plenum adparet, adeo terribile accidit fatis exercitis. Dum terræ motus urbes florentes cum mille incolis haurit, mens deciduus incolas integræ regionis conterit, bellum millia absumit, provincias depascitur, quod, quæso, erat maximum infortenium in his enormibus eventis? mors omnium horum singularium, subitaneus eorum ex numero viventium discessus — quid, ergone mors malum adeo grande est? an non omnium ultima meta quodvis temporis minutum est, quod nos transformat? an non secundum probalissimas rationes ex ingenti vivorum numero intra diem, sparsim quidem, & in omnibus 4 orbis partibus continuo Centum & mille moriuntur, interea Centum & mille rursus subnascentur? an malum dici grande potest, cum eodem temporis articulo cum omnibus, qui animo nostro cari sunt, metempsicoseos tempus commune habeamus? an non dulcæ svavi conjugii dilectæ uxori commori? an non lacrimosa mater proli morienti lubens se associaret? quod malum arrogans ratio loquitur? — mille eodem uno

temporis articulo interire? — atque: quotidie mille morborum vi aliisque fatis terræ subduentur? — aut mille uno eodemque somnio pereunt? — quid somnium punctum globi terræque cum magnitudine ita dicti mali commune habet? — vide o homo! sine Deo mundus est — orphanus!

Generatim in eo cubat præcipua ratio desponsionis animi, quod nimium nostræ rationi fidamus quod religiosas opiniones cum mundi Cursu commiscamus, imò eas a ratione removere plane velimus. Qui in mundo religioso juxta vivit, quam in terrenis negotiis, ei mors nequaquam adeo horribile malum est. Callet is: mortem novam vitam esse, ei Deus mors non est! amissio fortunarum, bonorum, an hæc sapienti, Christiano tandem maximum mundi malum est? hui! ei solum malum maximum est, qui iis solis bonis vacavit. — Prout mundus, ita & homo absque Deo — orphanus est.

Quis Christicola, quis sapiens vitam tantopere curaret, quæ ei mutuata, quam retinere nequit; quæ continuo mutat, & ex uno lecto mortuali, ab uno hærede ad alium vadit — qui in eo, quod pulvis est, maximam beatitudinem non constituit, ei amissio quoque illius, quod pulvis est, & in pulverem convertetur non maximum malum est. Nonnulli prius depauperari debent, quam altioris fortunæ: hominem esse se, Deo & altiori fini se destinari memuisse possint. Absque Deo mundus — orphanus est!

Quam id genus naufragus orphanus arripit tabulam? cum infortunio premitur, bona fortunæ periclitantur, aut evertuntur? cum ærumnæ communes vitam exacerbant? ratio plura adhuc mala prævidet, redditur pusillanimus; dispar contra est ratio & conditio hominis Deo conjuncti: hic semet solatur ad hunc modum: En, at, qui coelestia astra, innumeros hos orbes quotidie per indefinitum universum existentiae ducit, eorumque moderatur cursum — qui granum arenæ invisibili vinculo telluri nostræ alligavit, ne ab ea solvatur; qui vermiculi curam habet, vitæ læus qui rosæ folio instar roris insidet, in amplo inertium visium regno tam infinita sapientia moderaretur: & animarum interdum oblivisci posset? — oblivisci! vah! soedam enis perfectissimi notionem! Est non Deus, aut est infinite perfectissimus, quod si id est, ergo & omniscientia, omni potentia, misericordia, sapientia & omnia ambiens ejus amor æque infinite perfectus sit oportet. — Ejus absque nutu capillus non movetur; an ego ejus omniscientia non continear? ergo ego occumbam, quin is mei rationem habeat? neutiquam! hæc profecto notio cum ejus notione, bonitate, creatione, & omnium gubernatione conciliari nequit.

Hæc Christiani, sapientis vox est, qui sinistra fortuna adus solatium querit & vere invenit; contra: sibi fidens abque Deo ut orphanus existens animum despondet, opem queritans, salutis anchoram captans, occidit

absque salute, absque solatio. — O! vere mundus hic absque Deo orphanus est! —

Inter hos sermones genii mundum sublu-
narem repeterunt, suas opiniones secum ad-
ferentes, quæ a vero Sopho his refutatæ sunt.
Multi quidem inter eos erant, qui sibi fiden-
tes denique confessi sunt, se in mundo supe-
riore infelicia sentia fuisse. Ast novus reli-
gionis mundus aperiri visus est — pax cum
Austria, verum nondum universalis pax se-
quentia ex publicis narrata paginis:

Vindobona 12. Aug. Ampla & ratione
mixta spes pacis! viri docti contendunt: In-
ducias ad 18 dies, proin usque finem Augu-
sti esse prorogatas — rumor quoque fert: con-
spiciam personam Petropoli Vindobonam ten-
dere quo tractationes paullo post finem adi-
piscuntur.

Ad inexpectatum Neapoli sequens de
10. Aug. nuncium: Ex aliquot diebus rumor
isthuc percrebuit: Anglos nomine Regis M.
Britanniæ Insulam Siciliæ occupasse; eulam-
que Palermo Londinum se recepisse. Certum
videtur, ut nuper jam memoratum, inter
Anglicanum Generalem Ducem Stuart & Si-
cilianum Principem, dum hic in Classe An-
glicana versaretur, graves discordias viguisse.
Insula Procida jam a copiis nostris occupa-
ta propediem formidabili in defensionis sta-
tu consistet. — Ex provincia Calabria Ba-
silicata nunciatum: Cohortes prædatorias ab
Anglis oræ expositas continuo regionem ter-
rore, & devastatione replere: die 25. p. m.

inter alios ad Vignolam numerosus adparuit globus, at exacto modico prælio adpropinquante cum agmine primæ levis pedestris legionis provinciali militia, fugam arripuit, hac occasione 100 ultra equos & largam generatim prædam fecimus; ad hæc prædocintia avertenda rex excellentissimas dispositiones fecit, in specie: ut Cognati primipilerum illico comprehendantur. In epilogo Decreti dicitur: intra mensem nullum prædonem in regno futurum, sufficientemque copiarum linealium vim & vestigio ad omnes provincias, ad quas Decretum isthoc applicabile, expediendam esse.

Gallicæ de 13. Aug. paginæ memorant: Tribunal Criminale speciale Parisiis Cæs. Decretum de 6. Aprilis ad Ludovicum Victorem Meriodec a Rohan, filium Principis olim de Quamence adplicuit — accusatum arma adversus Galliam strinxisse; & post a. Sept. 1804 in exercitiis hostilibus stipendia fecisse, in *Contumaciam* ad mortem & bonorum confiscationem damnatus est.

Et Tyrolenses? Stuttgarda de 17. h. m. seqv. memorantur: Subjectio Tyrolis & celer progressio agminis Excellentissimi Cæs. Gallici agminis Gen. Ducis & Senatoris C. a Beaumont Oniponto isthuc per Adlerberg, Bludenz, & Feldkirch insurgentes ad confusionem prorsus redagerunt, cum ex averso se impeditos viderint. Agmen hoc, quod per Scharnitzam Tyrolim penetravit, die 3. Oniponto movit, & jam 6. Dornbirnam duabus horis isthinc dillitam adpulit; postquam

Rankweilam plures legiones Insurgentium dissipasset, arma & 5 tormenta ademisset; heri 8. matutina Galli urbem hanc ingressi sunt. Insurgentes heri Bregentio exoessere, quod ubi Regius Serenissimus Coronæ Princeps Wittenbergicus intellexisset, copias Wittenbergicas expeditur urbem occupaturas. Omnis Vorarlberga ad quietem & ordinem rediit, de præsentis armorum ademptioni opera impenditur, quæ brevi post absolvetur, Exc. Comes a *Beaumont*, heri eodem quo Exc. Gen. Bavaricus Commissarius *C. a Reisch* tempore isthuc adpult, amicaque & familiaris illustrium horum Duum virorum agendi ratio uberem pro tranquillitate & felicitate Vorarlbergæ spem præbet.

Monachio scribitur pertinacissimos Insurgentium Tyrolessium intra fauces Brenner desperantium more resistere. Per vices sauci Oenipontum feruntur.

Parisiis die 14. Aug. D. a Talleyrand Gallicus olim ad aulam Neapolitanam legatus Aureliæ apud cognatos suos supremum diem obiit.

Mareschallus *Augereau*, ab Imperatore agmini in Hispania præfectus, morbo correptus est, at jam convalescit, & propediem honorificum munus aditurus est.

In Theatris nostris crastino adjunctis adcommodata nova producentur Drammata. Cantatores saltum sub titulo *Festum Mortis* exhibebunt; in theatro *Vaudeville Saxonico* *molitor*, præsentabitur, in *Panorama Caupo*

Wagramensis, in de la Gaitte dicto Comici Vindobonenses, & apud Comicum ambiguum vita Bohemica.

Imperator notabilem summam pecuniarum pingendis 12 imaginibus assignabat, sequentia ad historiam presentis objecta presentandis: 1. Imperatorem Bavarum ante pugnam ad Abensperg alloquentem. 2) occupationem Ratisbonæ. 3) Prospectum Insulæ Napoleonis (Lobavia) eo momento, quo Imperator ex proelio ad Eszlingam reversus ad eam. 4) Alius prospectus ejusdem Insulæ eo ipso articulo temporis, quo Imperator sauciatum Marechallum Lannes amplexatur. 5) Aetates ad Vagramum; 6) adgressio pontis Landshutensis. 7) Adgressio pontis Retisbonensis. 8) Adgressio pontis Ebersberg. 9) Obsidio Vindobonæ. 10) Prospectus horti pontis bellaquei (Schönbrunn) 11) Prospectus Ebersdorf, & pontium super Danubio. 12) Actiones Imperatoris in loco pugnae ad Wagramum nocte a 5. usque 6. Præter has imagines & aliæ dimidiatae Statuæ in ceteris & Marsch. Lannes efformandæ dicuntur.

Tergesto die 3. Aug. Hodie comparuit mane Anglicana Classis 10 linealium pro hujate portu, Admiralis Collingwood ei cum imperio præesse perhibetur. Nadius tertius 6 minora armata navigia, quæ Venetiis venientem comœatu onustam navem huc comitabantur, in conspectu hujatis portus 2 horis eum toudem Anglicanis strenue certarunt, verum ignis Fregattarum prævaluit, maximam navium partem in potestatem suam redegerunt.